

V
B J
C
964

BOLESLAUS,
CHROBRI,

ID EST,

ACER,

COGNOMINATUS,

REX POLONORUM PRIMUS,

PRÆGLORIOSISSIMUS PRINCEPS,

MEMORIAQUE ET LAUDE PERPETUA DIGNISSIMUS,

CARMINE HEROICO

A.C. cIↃ IↃc LXII. D. XIV. SEPT.
H.X. MATUT.

IN AUDITORIO ATHENÆI
GEDANENSIS MAXIMO

PUBLICE

LAUDATUS

A

DANIELE SCHRADERO
JUNIORI, GEDANENSI.

VIRIS
GENEROSIS, PERMAGNIFICIS, STRENUIS,
NOBILISSIMIS,

DN. ADRIANO
Von Der LINDE/

GUBERNATORI REGIO MIRACHOVIENSI, PRÆCONSULI INCLYT. GEDANENS. REIPUPL. SENIORI, ET H.T. PRÆSIDI, NEC NON PROTOSCHOLARCHÆ AMPLISSIMO,

ET

DN. FRIDERICO
EHLER/

LAUDATISSIMÆ EJUSD. CIVITATIS GEDANENS. PARITER PRÆCONSULI, ATQ. H. T. PRO-PRÆSIDI GRAVISSIMO,

DOMINIS, PATRONIS,
ATQ. COGNATIS HONORATISSIMIS,

VITAM ET PROSPERITATEM!



MAGNIFICI DOMINI, quorum Reſpublica curis
Nititur, ac Urbis ſtat ſine labe ſalus:
MIECISLAIADEN tenuis mea Muſa CHROBRÆUM
Dicere non æquis viribus auſa fuit.
Eſt, fateor, noſtræ non parva audacia Cliûs.
Cum tanto voluit Principe ferre pedem?
Ferre pedem voluit tanto cum Principe: fruſtra;
Deficit, & longis prævolat ille viis.
Ille volat, terrisq; pedum veſtigia linquens,
Arduus in cœlũ tollit & aſtra caput.
Heu mihi! nunc Phœbo, nunc ſcilicet arte Magiſtrâ,
Nũc & Pegaſeis curſibus eſſet opus.

Omnia

Omnia deficiunt, ſpernitq; vocatus Apollo,
Nec facili noſtras ſuſcipit aure preces.
LECHEÆ O AQUILÆ, Veſtrarum lampade laudum
Si languent oculi, deficiuntq; mei;
Debilis ad tãtum ſi jam conniveo ſolẽ:
Eſte tamen faciles ad pia vota mihi.
Icariis etiam quãdoq; ignoſcimus alis,
Et veniam, quamvix promeruere, damus.
Vos etiam auſpiciis, PATRES, ſuccurrite Veſtris,
Inclyta dum tãti Principis orſa cano.
Sic mea Calliope, Zephyris animata ſecundis,
Optato cœptum tramite carpet iter.

INCLYT. MAGNIF. ATQ. AMPLIT. VESTR.
ÆTERNO MENTIS DEVOTISSIMÆ AFFECTU
VENERATURUS
DANIEL SCHRADERUS
JUNIOR. PRO.

PROGRAMMA,

QVO

HONESTISSIMORUM STUDIORUM PATRONOS, MÆCENATES, FAUTORES, CULTU, OBSERVANTIA, STUDIO, QVO PAR EST, INVITAVIT; JUVENTUTEM VERO, STUDIIS HONESTISSIMIS DEDITAM PERAMANTER CONVOCAVIT

JOH. PETR. TITIUS,

ELOQU. ET POET. PROF.

NOn *omnes arbusta juvant, humilesq; myricæ.* Itaq; Philorhetores etiam nostri, velut silvis egressi, maximorum interdum Principum adhærere lateri, aulasq; illorum ac palatia, & castra etiam ipsa, animo saltem atq; ingenio, lustrare gaudent. Ita CASIMIROS, ac VLADISLAOS, ita CAROLOS etiam, ac MAXIMILIANOS, atq; alios, Oratione partim solutâ, partim numeris vinctâ, Nobilissimorum, Florentissimorumq; industria Juvenum, summâ jam laude apud exteros agentium, antè descripsit. Putabant illi nempè, tum perutile fore, ac honorificum hoc exercendi genus; tum æqvissimum etiam esse, tam illustres virtutes, qvas obliterari silentio, & velut cum cineribus conditas latere, nefas sit; in lucem aliqvando adspectumq; produci. Eodem nunc animo DANIEL etiam SCHRADERVS, Junior, BOLESLAVM, Primum Poloniæ Regem, CARMINE EPICO sibi, ut Poëtæ loqvi amant, canendum duxit. Fuisse hunc Principem excellenti virtute, summâq; animi magnitudine, hostes etiam ipsi testatum reliqvere, interq; cæteros Russi, qvi non aliam eum ob causam CHROBRI, sive ACREM, lingvâ suâ cognominarunt. Atavo progenitus PIASTO, Patrem MIECISLAVM sortitus erat: in qvo complura admiratione digna concurrerant. Is namq; & ex Sene natus, & oculorum diu lumine destitutus, præter spem omnium postea, certissimo, ut eventus docuit, alterius Lucis præsagio, visum recepit. Hic nimirum

est,


est, qvi & Primus Principum CHRISTO nomen dedit, & exemplo suo fortissimam Polonorum Gentem ad eandem Fidem amplectendam adduxit, tam memorabili omnium fervore, ut cùm verba in Conventibus sacris Evangelica recitanda essent, manu ad acinacem admotâ, partemq; stringentes (qvem morem diu & posteritas tenuit) pro Religione & propugnare se, & mori fortiter paratos ostenderent Eqvestris Ordinis Viri. Illo genitus BOLESLAUS, Primus Nomine ac Majestate Regiâ eminuit, honorem illum, qvem Patri negaverat Pontifex, OTTONE III. Rom. Imp. conferente adeptus. Occasionem rei præbuerat Pietas optimi pariter ac fortissimi Principis, qvi ADALBERTUM, insigni sanctimoniâ Virum, ita vivum coluerat, ut à Prutenis, barbaris tum atq; impiis, summâ immanitate occisi Corpus, pretio, qvanto illorum satiari avaritia posset, redimeret, ingenti mox miraculorum famâ. Sed de hoc Principe, ejusq; Virtutibus, ac rebus gestis, plura in *Oratione*, quæ recitabitur, *Metricâ* audientur. Nos Herois laudatissimi Manes vel paucis versibus honoraturi essemus, nisi à Celeberrimo Polonici & Flori, & Pepli Auctore mutuari satius videretur. Sic verò Ille:

Principe major eras, Animo nec Regibus impar,
Cùm REGIS Titulos contulit OTTO Tibi.
Se jactent alii natos de Stemmate Regum:
Pulchrius est, Meritis Stemma parare sibi.


Ad SCHRADERUM autem Nostrum qvod attinet, magnum ille antea, cùm in aliis Argumentis ejus se occuparet industria, domi etiam testem atq; arbitrum habuit: cujus se nunc qvoq; lætaturum auspiciis, confidere poterat, nisi aliud interea DEO Opt. Max. visum esset. Qvamobrem si nihilominus & Sibi, & huic, qvod relicturus est, diligentiæ suæ ac progressuum Specimini Benevolentiam adspirare Amplissimi Auditorii senserit, non mediocri id sibi futurum solatio profitetur. Qvibus ita præmissis, bonâ jam à nobis Legentium, uti confidimus, gratiâ continuabitur DISSERTATIO DE QVIBVSD. ADMINIC. L. L. &c.

P. P. A. C. cIɔ Iɔc LXII. D. X. Sept.

LAUDATIO



LAUDATIO
BOLESLAI CHROBRI.



Eternos Magni titulos, nomenq; CHROBRÆI
Grande BOLESLAI, primus qui regia gessit
Sceptra Polonorum, niveis quem fama quadrigis
Æthereas super evexit celeberrima nubes:
Devoti canimus. Vos! O nunc quotquot adestis,
Magnificâ gravitate Viri, meritisq; colendi,
Atlantes Gedani, tantam qui vertice molem
Fulcitis, Patriæ sanctissima Nomina terræ:
Queîs sedet hæc constans animo sententia, semper
In commune bonum vigiles intendere curas:
Delicium populi, Consi, Suadæq; medulla,
Primores urbis, docti pia fulcra Lycei,

Musarum Patres, venerandi corda Senatus:
Almæ custodes, Assertoresq; Themistæ,
Justitiæ decora, & melioribus anchora causis:
Sanctâ doctrinæ, & morum Pietate verendi,
Pastores animi, Verbum cœleste docentes:
Consulti Astrææ, Juris Legumq; periti:
Tristes Phœbeâ morbos qui tollitis arte:
Gentis Apollineæ jubar immortale, decusq;,
Eximiâ virtute Viri, quibus una voluptas,
Ducere ad Aonii præclara cacumina Pindi
Instructam Juvenum, fortissima corda, Phalangem:
Tum quos Pieridum Præses sibi vindicat, omnes,
Quos Genus, & Genius magno commendat honore:
Et tu venturi, spes ô certissima, secli,
Flos Patriæ, Gentisq; tuæ, numerosa Juventus:
O Auditores Magni, multumq; colendi!
Eja, agite, huic placidi nostro adspirate labori,
Ut ratis hæc audens alto se credere Ponto
Nostra, rudis quãquam, & remis confisa minutis,
Felici semper vento, cursuq; secundo
Optatum tandem possit contingere portum.

GRande Superstitio monstrum, quo dirius ullum
Non exstat, totum terrarum invaserat orbem:

Per-

Perniciosa suô victrix diffusa veneno,
Undiq; mortales ad vincla domantia mentes
Raptarat, varios diverso tempore vultus
Assumens, nunc arma gerens, nunc sceptra curuli
Fulta sago, pictos nunc personata cothurnos,
Nunc soccos, Proteô magis & mutabilis ipso.
Mox etenim tigrim, mox assimulaverat agnum,
Nunc violentus aper, nunc tactu noxius anguis,
Nunc sævam dirâ referens cervice leænam,
Interdum rabiem fluctûs imitata marini
Flumen erat, toti minitans dira omnia mundo.
Hujus & infestas experta Polonia vires,
In quâ dum tumidos gerit hæc mala bestia fasces,
Impia sacrilegi crevit contagio cœtûs.
Quid multis? Coecus per fasq; nefasq; ruebat
Impetus, & vecors peragendi cuncta lubido:
Donec Sarmaticæ Divina potentia gentis
Respiciens misero infectas glaucomate mentes,
Impatiensq; moræ, multùmq; miserta malorum,
Fœda Superstitio quæ secum ferre solebat:
Jam satis est, inquit; vestros componite motûs,
Vos larvæ, cultûs falsi damnata propago.
Non sic Sarmaticas (pudor, heu!) decet amplius oras
Decipere, & ficto vinctam velamine frontem
Ducere; divinas non sic eludere vires.

 Dixe-

Dixerat: & dicto citiùs, velut agmine facto,
Excessere omnes adytis, arisq; relictis.
Jamq; serenato descendens inclyta cœlo
Relligio, teneros primùm dispersérat ignes
Plebejos inter, quos sancti fulmine verbi
Tangebat, patulos ostendens undiq; fontes
Humanæ, Christo duce quæ reparata, salutis,
Largaq; munificâ promittens præmia dextrâ,
Multorum addictas cœpit sibi reddere mentes.
His velut auspiciis, felici sidere, lætum
Privato ulteriùs tollens de pulvere vultum,
Egregiis auctura suum nomenq; Decusq;
Factis Relligio, longè majora parabat.
Ergo Miceslai tum Principis intrat in aulam,
Atq; has ingenuo promit de pectore voces:
Pulchra Semomisli proles, ô grande Tuorum,
Mieceslae, decus! Gentis præclara Polonæ
Gloria, & imperio semper venerabile nomen.
Barbara te falsi tenuit reverentia cultûs
Hactenus, & crassæ densâ caligine nubes
Errorum, ex oculis lucemq; diemq; fugarunt,
Cælica Christiadum Fidei quam dogmata præbent.
Nulla salus regni, prolis spes nulla relicta est,
Et diram rebus minitantur cuncta ruinam,
Nî tu gentiles properas subvertere ritûs,
Divinasq;

Divinasq; ſequi puro pietatis amore
Leges, exuto veteris velamine cultûs.
Ergo age, præteritæ ſubeant tibi tædia culpæ:
I melior; pravos tandem deponere mores
Incipe, & exemplum renovatæ ducere vitæ.
Euge, ſalutiferi corpus Baptismatis amne
Ablue; ſit veræ flagrans tibi cura ſalutis.
Ecce Boleslai Regis pia Gnata Bohemi
Quæ noſtras ſequitur dudum converſa catervas,
Innupta eſt, thalamoq; tuo ſatis apta futura.
Hanc tibi conjugio jungam, propriamq; dicabo,
Si noſtris faciles dederis ſermonibus aures.
Sic ait: illa ſuo vix hæc erat ore locuta,
Magna Miceslaus circum præcordia ſentit
Tormina, quæ diri movit mens conſcia facti,
Ultricem minitans triſti de ſede Megæram.
Quid faceret? Reſipit: geminas ad ſidera palmas
Tendit, & antiquæ confeſſus crimina culpæ,
Agnoſcit ſpiſſas animi, lugetq; tenebras.
Mox ſanctâ purgat corpus Baptismatis undâ,
Fœdaq; Barbaricæ rellinquens fœdera tædæ,
Dambroucam ducit, quæ Principe nata Bohemo,
Sinceræ lucem jam Relligionis habebat.
Nec Deus his ſanctis pietatis defuit auſis.
Protinus exoritur clarum, ceu munus Olympi,
Sidus, quod magni genitum de ſemine Meſci,

Contracti pretium Thalami, mercesq; recentis
Relligionis erat, Patrii ſpes optima Sceptri,
Nempe BOLESLAUS, cujus jam dicere laudes
Mens ardet, tenui quamvis animante Camœna.
Aſt genus, & Proavos, & longas ordine ceras
Ducere non opus eſt. Cui non ea nomina fando
Jampridem percepta? Quis eſt, quem gloria Ma-
gni
Clara Semomisli lateat? quem fama, paternæ
Æmula virtutis, duroq; per aſpera clivo
Ad laudem tendens, cunctis interrita dumis,
Sublimem evexit ſuprema ad culmina rerum,
Sarmaticosq; dedit faſces geſtare per oras
Imperii, exſtinctis quod erat venerabile bellis.
Hic Avus; hunc Magnus, quem diximus antè, ſe-
cutus
Herois noſtri Genitor, qui Meſco vocatur,
Et primus Chriſtum profitetur, primus adorat,
Sceptra vel hoc ſolo meritus Pietatis amore.
Quid reliquos memorem, quos ſangvinis arctiòr
uſus
Innexit, Proavósq; inſigni laude micantes.
Vox me deficiat, viresq; diesq; relinquant
Auguſtâ è tabulâ genus omne referre volentem.
His dignum ſeſe majoribus eſſe probabat
Noſter, in egregiæ primo mox flore Juventæ,
Quam ſummis ſemper coluit virtutibus omnem,
Eximi-

Eximias ſpargens illuſtri è pectore flammas:
Ut non hîc veteris fallant Oracula verbi;
Terrorem quondam nemorum, Regemq; ferarum,
Degeneres nunquam catulos generare Leonem:
Sed qui natales referant, roburq; Parentum
Magnanimûm, generoſæq; incunabula gentis.
Talis & hic noſter, modò quem laudavimus, Heros
Boleslaus erat, dictus cognomine Chrobri.
Hic contra inſultûs vitiorum interritus ibat
Ad magnas virtutis opes, quas ipſe paratas
Eſſe ſibi vidit, ſi, ceu Tirynthius Heros,
Virtutem pulchro ſequeretur calle beatam.
Hinc poſtquam famæ ſaturum, vitæq; Parentem
E terris lethi ſors non mutanda vocârat,
Sola Boleslao ſpes manſerat omnis in uno,
Qui patrium ſolitis regeret virtutibus orbem.
Dant ergò clavũ imperii, diademate frontem
Cingunt, &, voto cunctorum, dicitur unâ
Mente Boleslaus Princeps, Rectorq; Polonæ
Gentis: fit patrii multò digniſſimus hæres
Protinus Imperii. Cui concio tota faventis
Acclamat populi, & meritos gratatur honores:
Vivat io! vivat Princeps, quem noſtra volebat
Optio, Sarmaticas jamjam ſumpturus habenas:
Vivat io! vivat Princeps, qui fauſta videtur

Secla

Secla Augusteæ nobis promittere sortis:
Vivat io! vivat, nostrarum maxima rerum
Spes Boleslaus Princeps, sortemq; Deorum
Indigetum longo superet validissimus ævo.
Hæc sunt accepti quondam primordia clavi
Læta Boleslai. qui quamvis laude suorum,
Et patrio fasces potuisset jure mereri;
Indignum ducens aliorum incumbere famæ,
Cùm collapsa ruant subductis tecta columnis,
Virtutem à tenerâ coluit tener ipse juventâ.
Hâc duce Sarmaticos rectè delectus adibat
Per populi, procerumq; simul suffragia fasces.
Non tamen antiquo quicquam de more remisit
Jam Princeps factus: non illi sceptra dedere,
Aut diadema recens fastum; non aurea, multo
Principibus gestanda viris cum murice, vestis
Mollia tam sanctam discinxit in otia mentem;
Nec mala regnandi vicit sine lege potestas.
Quamlibet imperium rerum gentisq; Polonæ,
Unius arbitrio totum, nutuq; potenti
Staret, & excelsâ Moderator sede locatus,
Indulgere novo, quantùm jam vellet, honori
Liberiùs posset; Virtus tamen inclyta mansit
Præfixos intra fines, florere suorum
Nempe volens cultû, populiq; faventis amore.
Quem sibi devinctum dudum sic ceperat o-
mnem,

Ut dubites, Pietas utra ſit tibi major habenda,
Principis an Populi, virtus quos inter amorq;
Ambiguos æquo faciebat Marte triumphos.
Qui tenor, & primis Concordia nata ſub annis,
Fortunæ optatis ſemper comitata quadrigis,
Optima felicis portenderat omina fati.
Ut quando exoriens radios ſol ejicit albos,
Eſſe ſolet claræ ſpes haud incerta diei;
Et coëunte ſuos cornu cùm junxerit ignes
Luna, micat pleno longè perfectior orbe:
Sic etiam quando Concordia dulcis, Amorq;
Principis accendit populum; Reſpublica creſcit,
Et viret, ut pluviis ager irroratus amicis.
Ergo ubi firmatis optato ſidere rebus
Imperio parere ſuo cognoverat omnes:
His lætus multùm Princeps, ad Sacra viriles
Intendit curas; cultûsq; haud immemor ejus,
Quem puer in cunis olim penè hauſerat ipſis
Per doctos, clarosq; gravi Pietate Magiſtros,
Quicquid erat reliquum falſo de Numine, tollit.
O quàm multa tibi tunc ſtructa, Polonia, Templa,
Quámq; tuæ fidei claro lux aucta ſereno,
Quando Boleslaus Dux agminis ipſe præibat,
Chriſtiadum ſanctâ inflammans Pietate cohortem!
Scilicet is fauſti & ſtabilis moderamina Regni

Non nisi divino servari posse putabat
Cultu, quæ dubiis aliàs obnoxia fatis,
Fracta suâ faciles admittunt mole ruinas.
Ceu produnt Helenæ, Pollucem & Castora, fratres
Cùm gemini apparent solitos afferre salutem;
Stellam unam dirum nautis portendere signum:
Sic etiam Sceptri vis atq; potentia sola
Sæpe nocere solet, tristesq; ciere tumultûs,
Si non continuo fervens Pietatis ab igne,
Assiduam hanc comitem rebus conjungat agendis.

Quæ dum Sarmaticâ terrarum parte geruntur,
Præsul Adalbertus, sancto vir dogmate clarus,
Eximiis magnus meritis in gente Polonâ,
Illustri, ut perhibent, ductus Pietatis amore,
Ad Prussos adiit, gentem, quæ nescia veræ
Relligionis erat, piceis immersa tenebris.
Quam meliora parans devotâ mente docere,
Crudeli sacras ferro mactatur ad aras.
Hunc ubi sic miserè Princeps pius esse peremptum
(In quo spargendæ fidei spes tanta superstes)
Cognovit, casu tam sancti motus acerbo
Præsulis, & magni, dum vixit, semper amici,
Exanimum insigni corpus pietate redemit,

Et

Et patriis magno tumulavit honore sepulchris,
Non sine prodigiis, ut fertur, ubiq; patratis.
Audierat fama hæc: quid enim non audiat illa?
Ociùs hinc volucri vicina per oppida cursu,
Atq; remotorum penetrat pallatia Regum,
Oppressiq; viri jactat se nuntia tanti,
Cujus Sarmaticis corpus tegeretur in oris.
Pannonii, & Teucri veniunt, gentesq; propinquæ,
Et quas Euxini semoto à littore Ponti
Jussit Adalberti cineres invisere fervor.
Hæc etiam Ottonem, qui nomine Tertius audit,
Induperatorem Ausoniæ tum temporis oræ,
Impulit in fines regni transire Poloni,
Principis, Albertiq; novâ pietate calentes.
Cujus ut adventum prænuntia fama locuta est,
Obvius ad fines ibat cum milite Princeps
Ipse Boleslaus, magnum excepturus Othónem,
Illius & vultûs coram spectare verendos,
Oraq; tam multis cupiens celebrata triumphis.
Interea varius longè latéq; viarum
Strata tegit pannus, positusq; ex ordine multus
Armorum nitido radiabat lumine miles.
Vixq; tuos intrat fines, Posnania, Cæsar,

Ecce, Boleslaus magnum veneratur amicè
Ottonem, & Gnesnam ducit comitante caterva.
Ociùs inde suis urbs sedibus excita, longo
Agmine procedit; magnum miratur honorem;
Introitum celebrant omnes: Gaudentius ipse,
Supremus Præsul; quem nobilis ordo Virorum
Insequitur, lætos tollens ad sidera plausûs.
Sic postquam Gnesnam Cæsar delatus in urbem,
Excepere epulæ tantarum gaudia rerum,
Ductaq; magnificis dapibus lux tota diei,
Clamores inter populi, frontesq; serenas.
Posterus ut primos sparsit Sol aureus ignes,
Alberti spectare volens, adit Otto, sepulchrum,
Dignaq; Cæsareâ largitur munera dextrâ.
Inde redux, summo, quo par, affectus honore,
Excipitur: pulcrâ mittuntur plurima pompâ
Munera, non parvo mirè variata ministri
Turba gregis numero quæ nomine Principis offert.
Obstupuit Cæsar, tantis quid reddere donis
Posset, perpendens secum, populiq; Poloni
Tot meritis: simul & celsas in Principe Magno
Miratus Virtutis opes, dotesq; beatas,
Convocat extemplo Proceres, Primosq; Ministros,

Consilii longâ dudum gravitate probatos,
Quos his alloquitur facundo pectore dictis:
Multa Polonorum, ut nôstis, de Principe fama
Sparsit, &, innumeras volitans pennata per oras,
Ad nostros etiam venit prænuntia fines,
Laude Boleslai resonans, rebusq; peractis.
Sed nullam, aut minimam vix hæc retulisse videtur
Virtutis partem, quæ, longè major in illo,
Majores merita est, quàm nunc queîs fulget, honores.
Unde nefas ingens, & inexcusabilis error,
Illum, quem tanto commendat nomine Virtus,
Imperii titulos, fascesq; tenere minores.
Ergo huic Regales mens est conferre secures,
Et dudum meritæ Diademata nectere fronti,
Præmia tot decorum dignissima nempe futura.
Acclamant omnes, Magniq; probatur Othonis
Consilium, & tanto sententia Principe digna.
Hinc ubi sic Procerum votis, sua vota probari
Ille videt: sacras Otto contendit ad ædes,
In quibus ungendus, solito sic more jubente,
Boleslaus erat. Veniunt ad limina Templi,
Quos stupor insoliti meritò stimulabat honoris.
Magnus Cæsar adest: adstat flos nobilis aulæ,

Atq; rei populus cupidus ſpectator agendæ.
It clamor cœlo: ſummo pia ritè feruntur
Tura Deo, cujus nutu res tutior eſſet.
Tunc mediâ templi Princeps in parte locatus,
Ungitur, & totis ſtillabant læta capillis
Balſama, Niliaco ſudantia Balſama ligno.
Poſtea ſublimi, quam marmor eburq; tegebat,
Impoſitus ſellæ, pulchro Diademate frontem
Cingitur. Hinc illi magnorum inſignia Regum,
Purpureas veſtes, & Sceptra nitentia gemmis
Otto, piis etiam geſtanda Nepotibus, offert,
Atq; Albas Aquilas, ſignum venerabile regni.
Sic ad regales generoſa Polonia faſces
Emerſit! Regis ſic Dux ſacra jura capeſſit!
His igitur dignas memor usq;, Polonia, grates
Dic meritis; hilari conclament compita voce,
Eſſe Boleslaum Primum, qui Regia terris
Jura tuis ſemper memorandâ laude paravit;
Eſſe hunc, qui magnæ fecit faſtigia famæ
Summa tuæ; tibi qui ſceptrum, diademata, faſces
Promeritus, laudesq; tuas æquavit Olympo.
Nunc mihi, Sicelides (nam veſtra hæc munera) Muſæ,
Pandite, regali quæ clarus honore Boleslus

Geſſe-

Gesserit, & faciles mansuro condite versu.
Ut, quando in summo consistit culmine virtus,
Livor, iners vitium, magnas exsurgere laudes
Impatiens, illi diros immittere sentes,
Tabificumq; solet mordaci dente venenum
Spargere, perpetuus virtutis nempe satelles:
Haud aliter Reges circa, populosq; potentes
Invidiæ versatur onus, nec ferre maligni
Surgentem possunt generosæ mentis honorem;
Et, si fortè aliis major concessa potestas,
Indignè livent semper, ceu quercus Olivæ.
Hæc & Sarmaticum nigrâ ferrugine regnum
Invidiosa lues petiit: non illa Polonos
Majores aliis titulos, non sceptra tenere
Ante alios voluit, non sic emergere gentem.
Vix igitur solium Princeps conscenderat, ecce
Dira Bohemorum multis gens effera bellis
Protinus hostis adest, sævisq; agitata procellis
Invidiæ, insultat regno furibunda recenti.
O scelus! ô monstrum! Quæ vos dementia cepit,
Pacificas tristi diffindere Marte secures!
Quo ruitis miseri! rabidos componite fluctus.
Perstant: hostiliq; invadunt omnia ferro.
Nil vox Legati, quem Boleslaus amicum
Mittebat, valuit, generis nil jura propinqui.
Et licet ad pacem mentes spectare putasses;
Hæc incerta fuit, simulato induta cothurno,
Majo-

Majoris longè fomes vehementior æstûs.
Hinc cùm tranquillum sperarent omnia fœdus,
Et diri positum belli sedisse furorem;
En nova Gorgoneo rabies armata veneno
Exsurgit, pacem genti præstare Polonæ
Indignum clamans. Vires, quas antè, Bohemi
Intendunt, ruptoq; ruunt mox fœdere: bellum
Jam recipit flammas, eheu! miserabile bellum.
Musa mihi causas memora, quid in arma furentem
Impulerit populum, quid pacem excusserit Orbi?
Scilicet Ambitio, & regnandi dira libido.
Ergo Boleslaus, tantæ fortissimus ultor
Perfidiæ, justis etiam sese induit armis.
Audierant sævi, famâ præeunte, Bohemi,
Sarmaticas ferro cinctas volitare catervas.
Aufugiunt. Magnę suntne hæc miracula mentis?
Vox ubi jam mansit modò jactabunda, Bohemi?
Illa ubi jam Virtus? miseri, quò tenditis? Ecce,
Boleslaus adest: timidum jam sistite cursum.
Ast fugiunt: Aquilam pennâ trepidante columbę
Ut metuunt, unguesq; ejus, viresq; feroces.
Quid faceret Noster, cùm pallidus hostis abesset?
In Patriam miles, nullo certamine facto,
An revocandus erit? Sceleris non ulta manebunt
Nomina? Num tantæ fas sic ignoscere culpæ?
Nondum etenim causæ irarum, sæviq; dolores
Excide-

Exciderant animis: erat altâ mente repostum
Bojemi facinus, veterisq; injuria noxæ.
Consilium capitur: terras intrare Bohemas,
Una Polonorum vox est; hostemq; superbum
Nativis spectare volunt in sedibus omnes.
Præcedit miles; sequitur Rex ipse catervas,
Pro justâ fretus divino Numine causâ.
Regnantem latè populum, gentemq; Polonis
Exitium quondam, & nomen ferale Bohemos
Occupat, & magnis terroribus omnia complet.
Magnanimus Lybicis veluti leo visus in oris,
Insultare sibi cùm cernit cominus hostem,
Subsidit tacitus, totam dum colligat iram.
Mox ubi se sævæ stimulavit verbere caudæ,
Erexitq; jubas, alacri jam fronte propinquum
Aggreditur taurum, nec campum deserit antè,
Quàm victus jaceat laceratis artubus hostis.
Talis & in sævos Rex sumpto Marte Bohemos
Boleslaus erat, stricto quos undiq; ferro
Fregit, & ablatis, victor fortissimus, armis,
Imperio jussit sua subdere colla Polono.
Non congesti illum valli, non oppida muris
Cincta retardabant, non Princeps ipse Bohemus,
Qui frustra occulto trepidans latitabat in antro.
Subdita victrici cesserunt omnia dextræ.

Sic armis tandem captus fuit ipse Tyrannus
Sarmaticis, vitæq; orbatus lumine, fœdæ
Pœnas perfidiæ, jam Numine vindice, solvit.
Victa igitur Virtute Viri gens barbara, primæ
Materies nova laudis erat, famæq; secutæ.
Post hæc felici superata pericula Marte,
Intima Moravicæ ingreditur penetralia terræ,
Quam sibi perpetuo obstrictam jubet esse tributo,
Imponens populo Regem, cui sceptra Clientis
Nomine Sarmatici donat, strictasq; secures.
Sed nec post tantos, dextro quos alite, motûs
Composuit, fortes passa est torpere lacertos
Longa quies: posito, summâ qui laude Bohemos,
Moraviæq; duces superarat, acinace, rursus
In nova mox stringit certamina fortiter ensem,
Russis, quos vehemens dudum discordia fratrum
In varias vario distraxerat impete partes,
Optatam laturus opem, gratumq; levamen;
Et sua, quæ quondam defuncto jura Parenti
In Russos fuerant, repetens felicibus ausis.
Jaroslaus erat, cujus tum Russia diro
Ferme omnis sceptro parebat, & alveus ipse,
Ille Borysthenii, Niepram quem dicimus, amnis.
Hunc

Huncubi jam palpo nimiùm duxiſſet hiantem
Cretata Ambitio, perfuſaq; gloria fuco,
Auſus erat Patrio fratrem quoq; pellere regno,
Kijoviamq; illi (facinus miſerabile dictu)
Eripere, & gazas, faſces, cultumq; priorem,
Impatiens omnis ſocii, jurisq; ſecundi.
Ergo cùm patriis exul Stopolcus ab oris,
Fraterno coleret peregrinas crimine terras,
Illico Sarmaticas ſupplex defertur ad oras,
Auxilium rogitans, lapſis ſolatia rebus.
Annuit oranti Rex Boleslaus, opemq;
Ociùs egregio firmatam robore præſtat.
Conveniunt Regni Proceres: mox itur in acres
Bellorum curas, ultorq; repente per omnem
Sarmatiam Mavors ſtrepit, & ciet arma viroſq;.
Induitur ferro ſplendor, pars lucida pingui
Spicula detergunt arvinâ, cote ſecures
Exacuunt, fidoq; latus pars cingitur enſe.
Claſſica jamq; ſonant; totis mox Ruſſia turmis
Atq; armis petitur. Rex nil cunctatus, ad altum,
Fulminis inſtar, adeſt Bogum, cui Ruſſicus inde
Occurrit miles, raptæq; in bella catervæ.
Hinc pugnas ineunt, atq; aſpera prælia tentant.
Mox fugiunt trepidâ Ruſſi formidine, campi

Immemores,in quo pugnassent antè, prioris.
Ipse Jaroslaus, tanti Dux agminis, ibat
In madidâ vitam quærens servare palude.
Hic ubi sic victus patriis excesserat oris,
Rex victor cunctis admotis viribus urbem
Kijoviam oppugnat: quæ ferro pressa, fameq;,
Submisit validas, quas ostentaverat, arces.
Redditus est igitur veteri Stopolcus honori,
Atq; ita, qui regno fuerat spoliatus avito,
Sarmaticâ tutante manu pôst victor id ipsum
Occupat, exilio Fratrem pro crimine mulctans.
Sed mox felici domitis certamine Russis,
Agmina dum patrias repetunt victricia sedes,
(Quâ tener ingentem Volgam tenet Occa sinistro
Flumine, ubi pingui Cereris Novigrodia glebâ)
Clam petitur tacitis victor (scelus ecce nefandum!)
Insidiis, mortem diram intentante Rutheno.
Consilii quid erat? Revocatis viribus, illos
Marte Boleslaus repetit, meritosq; Triumphos,
Hostibus ingenti deletis strage, reportat.
Sic debellatis iterum, Rex Maxime, Russis
Ingrederis patriam magnâ comitante catervâ
Urbem. Te longi remeantem pompa triumphi
Excipit, atq; manûs lætæ plausere Tuorum.

Clamat io! Populus: Salve, celeberrime Victor
Servator salve Patriæ, insuperabilis Heros.
Non mihi si linguas centum natura dedisset,
Ingeniumq; capax, totumq; Helicona; tuorum,
Boleslae, decus, totus quæ suspicit orbis,
Factorum, dignis olim conatibus æquem.
Tu Ducis officio functus, Tu militis idem,
Tu validos dextro superasti Marte Bohemos,
Tu Russæ toties ultus perjuria gentis,
Non nisi victrices Aquilas per prælia portas.
Vix Patriæ attigerat fines, & dulcia victor
Arva redux: animos longâ torpere suorum
Desidiâ nolens, mox bello, pigra perosus
Otia, Saxonicam parat ille invadere gentem.
Quæ quondam magnas Heinrico Principe partes
Sarmatiæ, sibi non justis subjecerat armis.
Hanc ergo infestis properans invadere signis,
Convocat armatam noto sibi robore pubem,
Sangvineumq; parat tremefacto Saxone bellum.
Ut venit, vidit; gravis hostes occupat horror,
Inq; suos abeunt lucos, & inhospita tesqua.
Hinc ubi, qui contrà se ferret, nemo dabatur,
Saxonicam latè terram populatur, & omnem
Exhaurit variis, bellantum more, rapinis,


Innumeras abigens pecudes, ac igne ſuperbos
Corrumpit, nullo contrà nitente, Penates.
Ponit & in medio fulgentes ære Columnas
Flumine, Virtutis quondam monumenta Polo-
næ.
Poſt hanc perdomitam, vix ullo ſangvine, gentem,
In Pruſſos facti ſtimulat vindicta nefandi
Sarmaticum populum. Circum præcordia triſte
Verſatur lethum, quod diximus antè, verendi
Præſulis Alberti, quem gentis dira Prutenæ
Innocuum rabies immani cæde necârat.
Hanc ſubitò, fortes cogens in bella maniplos,
Boleslaus adit, muris atq; aggere ſeptas,
Romovam, & Balgam, & Razinum, ſubjicit ar-
ces,
Deſertas timidis magno terrore colonis:
Quas jubet injectis deletas perdere flammis.
Interea Pruſſi, magnus quos horror opacis
Abdiderat ſylvis, & denſis ilice lucis,
Omnia per tacitas cernentes ſcilicet umbras,
Supplicibus tutam, poſito certamine, pacem
Sollicitant precibus, ſpondentq; offerre tribu-
tum.
Vocibus his motus tandem, precibusq; rogan-
tum,
Bo-

Boleslaus init pacem, fœdusq; quietis
Perpetuæ pangit. Mox inviolabile pignus
Additur, atq; Fides per ſanctos vera Magiſtros
Traditur. Hinc oritur magni lux clara Jehovæ,
Divini lituo verbi clangente, fidemq;
Paulatim accipiunt Pruſſi, Chriſtumq; ſecuti,
Pòſt melius ſapere incipiunt. O bella beata,
Quæ tam felici concludunt omnia fine!
Nulla dies tantum, quamvis longinqua, tuorum,
Boleslae, jubar meritorum, nulla fugabit
Ætas, tam ſancti nomen venerabile Regis.
Non repetam victos iterato Marte Ruthenos,
Non alios dicam populos, terrasq; ſubactas.
Læta quies ſequitur tandem, Janumq; bifrontem
Claudimus: impoſita eſt ſævo manus ultima bello.
Sed fuit ut Bello Noſter, ſic Pace celebris.
Quis referat, quanto ſtudio res geſſerit omnes,
Sæpè etiam vigiles ſolitus perducere noctes,
Ut ſartam patriæ poſſet ſervare ſalutem,
Cui totum ſeſe dederat, pro cujus honore,
Immemor ipſe ſui, ſemper vigilabat, & aris.
Hinc ſibi Conſiliis bis ſex adjunxit habendis
Egregiâ gravitate viros, genioq; potentes:
Qui tenebris alto diſcuſſis pectore, poſſent
Con-

Consulere in medium, rebusq; affundere lucem.
Ille suum verò Patriæ consuêrat amorem
Hoc etiam sanè memorando promere dicto:
Sese vescentem gallinâ, malle tueri
Cives, quàm lautis segnem pinguescere mensis.
Prætereo varias, quas ædificaverat, urbes,
Prætereo innumeras, pulchrè quas condidit, arces,
Et quæ plura aliis forsan memoranda relinquo.
Sic tandem Princeps curis confectus & annis,
Indicto Gnesnæ conventu, regia confert
Sceptra Miceslao, patrii qui muneris hæres
Optatis caperet rerum moderamina fatis.
Ergo ubi lustra decem vitæ, & bis quatuor annos
Egerat, ingenti defessus mole laborum,
Cœlestem quærens requiem, sedesq; beatas,
Boleslaus obit, leni sua lumina somno
Componens, rerum lustris jam quinq; potitus.
Hanc vitæ nactus finem est: hic terminus illi
Obtigit: hæc tandem gestarum linea rerum.
Corpus Posnaniæ sanctâ requiescit in urnâ,
Quæ caros condit cineres: sed fama perennis
Pervolat immensum, quacunq; is panditur, orbem,
Orbem quem magnis compleverat undiq; factis.
Huic

Huic tantum debes devôta, Polonia tellus,
Quantum unquam ſoboles potuit debere Parenti.
Hic tibi Regales felici ſidere faſces
Contulit: hic victos cepit cum Rege Bohemos,
Et Moravos, Pruſſosq; ſimul, Ruſſosque rebelles
Perdomuit, terrasq; tuis ſubjecit habenis.
Huic magno Patriæ Patri ſuccedere Reges
Cœpere Auguſti; ſceptrum à quibus ordine ſancto
JAN-CASIMIRUS habet, noſtro venerabilis ævo.
Cui ſic felices votis flagrantibus annos
Noſtra, licet tenuis, ceu fas eſt, Muſa precatur.
Magne Jagellonidum Sangvis, dilecta Tonantis
Cura, & Sarmatici ſupremum Lumen Olympi,
Fortunæ invictum pectus, CASIMIRE, Poloni
Spes Sceptri ſuper una, jubarq; illuſtre Tuorum;
Cui pia fama ſacro viridantes vertice laurus
Donat, & æternis inſcribit nomina cedris:
Vive diu felix, Aquilâ portante triſulcos
Ignes; Herculeos, quos perfers, vince labores,
Harpyias ſemper diras, gentesq; rebelles
Frange, Leonino fortiſſime robore Princeps:
Victor ut innumeris poſſis gaudere Triumphis,
Et vigeat, vernet, creſcat, TE REGE, Polonus
Orbis, & optato conſummet ſecula curſu.

Prussia sic etiam, sic Dantiscana vigebit
Urbs quoque; sic lætis florebunt omnia palmis.



EPITAPHIUM.
BOLESLAI CHROBRI,
REGIS POLONIÆ,
IN ECCLESIA CATHEDRALI
POSNANIENSI HUMATI.

Hic jacet in Tumba Princeps, gloriosa Columba,
Chrobri tu es dictus, sis in ævum benedictus.
Fonte sacro lotus, servus Domini puta totus,
Præcidens comam septennii tempore Romam.
Tu possedisti velut athleta Christi,
Regnum Sclavorum, Gottorum seu Polonorum.
Cæsar præcellens â se Ducalia pellens,
Plurima dona sibi, quæ placuere tibi,
Huic detulisti, quia divitias habuisti.
Inclyte Dux, tibi laus, Serenissime BOLESLAE,
Perfido Patre natus, sed credula Matre.
Vicisti terras faciens bellum quoq; guerras,
Ob famam bonam tibi contulit Otto Coronam,
Propter luctamen sit tibi salus. Amen.

VIDE SIM. STAROVOLSC. MONUM. SARMATAR. pag. 447.

